

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XVI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

EPISTOLAE XV.

ARGUMENTVM.

Declarat suum absentis Trebatii desiderium: gratulatur de C. Matii familiaritate. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Morosi] *Morosus* est, cui non placet id, quod placere debet: vel. qui plus, quam oportet, exigit ab aliquo: vel, qui non fert, quod ferendum videtur. In Oratore c. 29. *In quo tantum abest, ut nostra miremur, ut usque eo difficiles, ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes.*

Ea, quae spero] Honestatem, et commoda. epist. 11.

C. Matii] Cuius exstat grauissima epistola lib. 11. 28. apud Caesarem gratia valuit, ut lib. 6. epist. 12.

Doctissimi] Quinctilianus lib. 12. c. 6. ait Matium ante quaestoriam aetatem orasse. Columella lib. 12. c. 4. et c. 44. scripsisse eum de pistore, coquo et cellario libros tres. A Gellio quoque et Macrobio laudari video doctrinam Cn. Matii. Sed ibi Cnaeus, hic Caius nominatur: ut vel duo Matii fuerint, diuerso praenomine, uterque in primis eruditus: vel, si vnus fuit, mendum sit in alterutro praenomine.

EPISTOLAE XVI.

ARGUMENTVM.

Laudare Trebatium videtur ut sapientem, qui belli discrimina vitaret: sed re vera notat ut timidum: quod saepe facit. adscribit quaedam per iocum, de Cn. Octavio, de futuris Trebatii diuitiis, de eiusdem superbia. Scripta videtur eodem anno: quod ex eo cognoscitur, quia scribis Cicero et in Britanniam ire Trebatium noluisse, et adhuc quidem Samarobrinae esse; ubi eum fuisse, cum interreges crearentur, indicat epist. 11.

EXPLANATIO.

In Equo Troiano] Tragoediae nomen, sed vtrum Liuii Andronici, quem Nonius appellat in Opitula, an Naevii, quem Macrobius lib. 6. Saturn. c. 1. ignoro.

Sero sapiunt] Subaudi, *Phryges*: qui cum Helenam initio belli reddere nolissent, postea, fractis iam eorum opibus, et spe salutis amissa, velle se eam reddere dixerunt.

inde natum prouerbium: de quo Festus.

Mi vetule] Amatorie, per iocum.

Rabiosulas] In quibus, teneri se vrbis desiderio, et cupere statim aliquid auferre, atque a bello discedere, scripserat Trebatius. id fuit primum argumentum, cur non sero, sed mature sapere visus est. alterum, quod in Britanniam ire noluit.

Gg 3

noluit. tertium, quod Samarobrinae diu mansit, nec ullam rei bellicae partem attigit. Inde iocandi materiam Cicero sumpsit.

Sat fatuus] Quia, cum iuisset in Galliam eo consilio, ut Caesaris beneuolentiam obsequio officioque suo consequeretur, ita statim auferre ab eo pecuniam, et domum redire properabat, quasi non litteras commendatitias, verum syngrapham ad eum attulisset.

Non nimis φιλοθεωρον] Non valde cupidum spectandi: quia transire in Britanniam noluit, neque spectare esedarios. Hic locus alio loco epist. 6. illustratur. Secutus autem sum Politiani correctionem: licet libri veteres, pro *nimis, minus*, et pro *φιλοθεωρον*, quam *Philosophetem*, omnes habeant, vno tantum excepto, in quo est, *non minus philotheorum*, item ut esse in Mediceo libro Politianus idem scripsit.

In hibernis injectus mihi videtur] Hibernorum tempus nondum erat: sed hibernare Trebatius videbatur, quia se Samarobrina non commouebat. epist. 11. 12. et in hac in extremo.

Vsquequaque sapere oportet] Vbiq: quod tu facis: qui tibi optime caues, nec periclitari, quamquam sis in bello, de vita vis. huius aduerbii vis eadem semper est. exempla et palam sunt, et quaedam Carisius quoque recitat, M. Cato, C. Gracchi, Frontonis.

Telum acerrimum] Summum est in sapientia praesidium. Serio videtur hoc dicere, sed iocatur: quasi dicat: nae tu rationem tuendae salutis tuae optimam iniuisti:

et, quod alii telis acerrimis, id tu sapientia tua consequeris.

Non defuissem] Non negassem: obsecutus essem.

Quis tu es] Ineptum hominem significat: qui Ciceronem, cui ne notus quidem esset, ad cenam invitaret. epist. 9.

Homo bellus] Lepidus, quo uti incunde quiuisset. *Bellus* ad formam non refertur, sed ad quandam venustatem, quae amorem conciliat.

Abduxisses] Nondum a ioco discedit; quamquam dixerit, *extra iocum*. nam *abduxisses*, videtur esse, tecum duxisses ut hominem bellum, voluptatis et laetitiae tuae causa: sed valet, ut hominem ineptum, quo minime delectamur. In hac autem structura, *homo bellus est, vellem eum tecum abduxisses*: inesse quiddam sentio, quod capiat aures meas: nec id tamen, quale sit, explicare satis queo: cuiusmodi multa sunt in Latina lingua, quae malim imitari, quam docere. Huic loco respondere videtur ille lib. 10. epist. 28. *Quam vellem ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Martiis inuitasses! reliquiarum nihil haberemus*. Et lib. 15. ad Attic. epist. 22. *Gratulor nobis Q. filium exiisse: molestus non erit*.

In Italiam] Puto me iam dixisse, Italiam aliter iure naturae, aliter iurisdictione terminari: iure naturae, Alpibus; iurisdictione, Rubicone amne: ultra quem incipiebat Cisalpina Gallia: quae cum Transalpina et Illyrico erat in imperio Caesaris. Dixit igitur Cicero, *in Italiam*, id est, in Cisalpina Gallia, quo se Caesar quotannis ad conuen-

conuentus peragendos hieme conferre solitus erat. ipse enim Commentariorum suorum lib. 1. in extremo de se ipso ita scripsit: *Ipse in citeriorem Galliam ad conuentus agendos profectus est.* Et lib. 2. item in extremo: *Legionibus in hiberna deductis, in Italiam profectus est.* Et lib. 5. primis verbis: *L. Domitio, Ap. Claudio coss. discedens ab hibernis Caesar in Italiam, ut quotannis facere consuevit, legatis imperat, etc.* Et lib. 6. in extremo: *Ut instituerat, in Italiam ad conuentus agendos profectus est.* Quibus exemplis utendum putavi, ut constaret, ab eodem Caesare modo citeriorem Galliam, modo Italiam vocari eam imperii partem, quae Alpibus et Rubicone amne contineretur.

Venturi sitis] Venerunt: ut Caesaris verba lib. 6. quae iam recitavi, demonstrant.

Stoici] Qui sapientis esse omnia confirmant: ut in Zenone Laertius ostendit. Iocus in Trebatium, qui nummatus esse possit sine nummis, more sapientum.

Caelo et terra frui] Fruuntur autem soli sapientes. Huc illud pertinet ex lib. 5. de Fin. c. 28. *Paupertas si malum est, mendicis beatus esse nemo potest, quamvis sit sapiens. At Zeno eum non beatum modo, sed etiam diuitem dicere ausus est.*

Postea videro] Modus loquendi, quo significamus, nondum nobis constitutum ac certum esse, quid

aliqua de re sentiamus. simile illud epist. 25. *Praeter duo nos, loquitur isto modo nemo: bene malene, videro.* Et lib. 9. ad Attic. epist. 10. *Si hic, qua ratione initium fecit, eadem cetera aget, sincere, temperate, prudenter; valde videro, et consideratius utilitati nostrae consulero.* Et lib. 1. de Leg. c. 21. *Cui tamen ego assentiar in omnibus, nec ne, mox videro.*

Superbiam tuam] Non quod superbus esset, sed quod a nemine consuleretur. idem iocus lib. 1. epist. 10. *Qui istinc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas: partim contumeliosum, quod male respondeas. Respondere dicuntur iurisconsulti, cum iis, a quibus consuluntur, de iure ostendunt, qualis eorum causa sit, quid vitandum, aut agendum. vnde in Bruto c. 30. *Rutilius magnum munus de iure respondendi sustinebat.* Et pro Murena c. 13. de Servio: *vestra responsa atque decreta.**

Sed tamen] Quamquam nemo te consulat; hoc tamen laetare, quod istuc veneris, ubi ius civile melius, quam tu, nemo calleat. Iocus est: nam quae laus, Samarobrinae bonum iurisconsultum videri? Eiusdem generis illud epist. 10. *Quod si in Britanniam quoque profectus esses: profecto nemo in illa tanta insula peritior te fuisset.* Et lib. 1. epist. 10. *Ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videre.*